

« Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera » mea regi. » Homo dicebat, ille dicebat qui scripsit Psalmum; sed ex persona Dei dicebat: incipit dicere et ex sua, « Propterea benedixit te Deus in æternum. » Dixerat enim Deus, « Diffusa est gratia in labiis tuis, » ei quem fecerat speciosum præ filiis hominum, etiam hominem quem Deum ante omnia protulerat, æternus cœternum. Impletus est ergo Propheta gaudio quodam ineffabili, et attendens quid Deus Pater de Filio suo homini revelaverit, qui potuit dicere ista et ex persona Dei, « Propterea, » inquit, benedixit te Deus in æternum. » Quare? Propter gratiam. Illa enim gratia quo pertinet? Ad regnum cœlorum. Primum enim Testamentum terram promiserat: et aliud præmium fuit vel promissio sub lege positurum, aliud sub gratia: terra Chananæorum Judæis sub lege positis, regnum cœlorum Christianis sub gratia positis. Itaque quod pertinebat ad eos qui sub lege positi erant, regnum, terra illa transiit: regnum cœlorum quod pertinet sub gratia positis, non transit. Propterea hic « Benedixit te Deus, non ad tempus, sed « In æternum. »

IX. Non defuerunt qui omnia etiam superiora verba ex Prophetæ persona accipi mallent: et hoc quod dictum est, « Eructavit cor meum verbum bonum, » ex Propheta voluerint intelligi, veluti dicente hymnum. (Quisquis enim dicit hymnum Deo, eructat cor ejus verbum bonum: quomodo qui blasphemat in Deum, eructat cor ejus verbum malum.) Ut et illud quod adjunctum est, « Dico ego opera » mea regi, » significare voluerit summum hominis opus non esse, nisi Deum laudare. Illius est specie sua placere tibi, ad te pertinet eum in gratiarum actione laudare. Opera tua si non fuerint laus Dei, incipis te ipsum amare; et pertinebis ad illos, de quibus dicit Apostolus, « Erunt

» enim homines se ipsos amantes¹. » Displice tibi, placeat tibi qui te fecit; quia in eo tibi displices quod in te ipse fecisti. Opus ergo tuum sit laus Dei, eructet cor tuum verbum bonum. « Dic ergo opera tua regi: » quia ut diceres, rex fecit, et ipse donavit quod offerres. Redde illi de suo, ne velis accepta parte patrimonii tui ire longius et prodige perdere in meretrices, et porcos pascere. Hoc recordamini ex Evangelio. Sed etiam de nobis dictum est, « Mortuus » erat et revixit; perierat, et inventus est². »

X. « Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. » Non defuerunt qui sic intelligerent Prophetam ea dixisse quæ scriberet, et ideo linguam suam calamo scribæ comparasse. « Velociter autem scribentis » voluisse dicere, ut significaret ea se scribere, quæ velociter ventura erant, ut velociter scribere, velociter scribere intelligatur, id est, scribere non tardatura. Non enim tardavit Deus exhibere Christum. Quam cito evolutum sentitur, quod peractum agnoscitur? Recordare generationes ante te, invenies Adam tanquam hesterno die factum. Ita gesta legimus omnia ab ipso principio: ergo velociter facta sunt. Velociter erit et dies judicii: præveni velocitatem ipsius: velociter veniet, velocius tu mutare. Aderit facies judicis, sed vide quid dicit Propheta: « Præveniamus faciem ejus in confessione » ne³. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. »

XI. « Accingere gladium tuum circa femur potentissimi » me⁴. Gladium tuum, » quid, nisi verbum tuum? Illo gladio stravit inimicos, illo gladio divisit filium a patre, filiam a matre, nurum a socru. Legimus hæc in Evangelio: « Non veni pacem mittere, sed gladium. Et erunt in » una domo quinque divisi adversum se, duo adversus » tres, et tres adversus duos erunt divisi: id est, filius

¹ 2 Tim. iii, 12. — ² Luc. xv, 32. — ³ Psal. xciv, 2. — ⁴ Id. xlv, 4.

» adversus patrem, filia adversus matrem, nurus adversus socrum suam¹. » Divisio hæc quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit? Et revera, fratres, etiam quotidianis exemplis videmus hæc. Placet juveni alicui Deo servire, displicet patri: divisi sunt adversus se: ille promittit terrenam hæreditatem, ille amat cœlestem: aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam injuriam, Deus solus illi præfertur: et tamen litigat cum filio volente servire Deo. Sed fortior est ille gladius spiritalis separans, quam copulans natura carnalis. Fit hoc et de filia adversus matrem, multo magis et de nuru adversus socrum. Nam aliquando in una domo nurus et socrus inveniuntur hæretica et catholica. Et ubi fortiter recipitur iste gladius rebaptizationem non timemus. Potuit dividi filia adversus matrem suam, et non potest nurus adversus socrum suam?

XII. Factum est hoc generaliter etiam in genere humano, divisus est filius adversus patrem. Fuimus enim aliquando filii diaboli. Adhuc infidelibus dictum est: « Vos » a patre diabolo estis². » Et omnis infidelitas nostra, unde, nisi a patre diabolo? Non ille creando pater, sed nos illum imitando filii. Jam modo videtis filium adversus patrem divisum. Venit gladius ille, renuntiat diabolo: invenit alium patrem, invenit aliam matrem. Ille ad imitationem se præbens, generabat in exitium: parentes duo quos invenimus, in vitam æternam generant. Divisus est filius adversus patrem. Divisa est filia adversus matrem suam: Plebs illa quæ de Judæis creditur, divisa est adversus synagogam. Divisa est et nurus adversus socrum suam: Plebs de Gentibus veniens, nurus dicitur; quia sponsus Christus filius synagogæ. Unde enim natus est Filius Dei secundum carnem? Ex illa synagoga. Ille qui

¹ Matth. v, 34, 35, et Luc. xii, 51-53. — ² Joan. viii, 44.

dimisit patrem et matrem; et adhæsit uxori suæ, ut essent duo in carne una¹: non conjectura nostra, sed attestante Apostolo, et dicente: « Sacramentum hoc magnum est, » ego autem dico in Christo et in Ecclesia². » Dimisit enim patrem quodam modo: non omnino dimisit veluti ad separationem, sed ad susceptionem humanæ carnis; Quomodo dimisit? « Quia cum esset in forma Dei, non » rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens³. » Quomodo dimisit et matrem? Gentem Judæorum, synagogam illam hærentem veteribus sacramentis. Ad ipsam figuram pertinet quod ait: « Quæ est mihi mater, aut qui fratres⁴? » Ille enim intus docebat, illi foris stabant. Videte si non modo ita sunt Judæi. Docet Christus in Ecclesia, illi foris stant. Socrus ergo quid est? Mater sponsi Domini nostri Jesu Christi, synagoga est. Proinde nurus ejus Ecclesia, quæ veniens de Gentibus non consensit in circumcisionem carnalem, divisa est adversus socrum suam. « Accingere » gladium tuum. » De potentia hujus gladii loquebamur, cum ista diceremus.

XIII. « Accingere gladium tuum, » sermonem tuum: « Circa femur potentissime, » circa femur habens gladium. Quid est, « Circa femur? » quid significat de femore? Carnem. Unde illud est: « Non deficiet princeps » de Juda, et dux de femoribus ejus⁵. » Nonne et ipse Abraham, cui promissum erat semen, in quo benedicerentur omnes gentes, quando misit servum suum ad quærendam et ducendam uxorem filio suo, unde veniret illud semen sanctum, in quo benedicerentur omnes gentes; fide tenens, in illa veluti humilitate seminis esse magnitudinem nominis, id est, Filium Dei venturum ex filiis

¹ Gen. ii, 24. — ² Ephes. v, 32. — ³ Philip. ii, 6. — ⁴ Matth. xii, 48. — ⁵ Gen. xlix, 10.

hominum per semen Abrahæ; fecit ipsum servum suum, quem mittebat, ita sibi jurare: «Pone, inquit, manum» tuam sub femore meo, et sic jura¹. » Quasi diceret, Pone manum tuam ad altare, aut ad Evangelium, aut ad Prophetam, aut ad aliquid sanctum. Sub femore meo, inquit, pone manum: habens fiduciam, nec reverens turpitudinem, sed intelligens veritatem. Propterea: «Ac» cingere gladium tuum circa femur potentissime. » Potentissimo etiam circa femur: «Quia quod infirmum est» Dei, fortius est hominibus². Potentissime. »

XIV. «Specie tua et pulchritudine tua.» Justitiam accipe, qua semper es speciosus et pulcher: «Et intende,» et prospere procede, et regna³. » Nonne videmus? Certe jam factum est. Attendite orbem terrarum: intendit, prospere processit, et regnat, subditæ sunt omnes gentes. Quid erat illud videre in spiritu? Quod nunc est experiri in veritate. Quando dicebantur hæc, nondum ita regnabat Christus, nondum intenderat, nondum processerat: prædicabantur, exhibita sunt, jam ea tenemus: in multis redditorem habemus Deum, in paucis debitorem. «Intende, et prospere procede, et regna.»

XV. «Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam⁴.» Reddita est veritas, quando veritas de terra » orta est, et justitia de cælo prospexit⁵. » Præsentatus est Christus expectationi generis humani, ut in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Prædicatum est Evangelium; veritas est. Quid mansuetudo? Passi sunt Martyres, et inde multum processit, et promovit per omnes gentes regnum Dei: quia patiebantur Martyres, nec deficiebant, nec resistebant; dicentes omnia, nihil occultantes; parati ad omnia, nihil recusantes. Magna mansuetudo.

¹ Gen. xii, 3, xxiv, 2, 3, et xxvi, 4. — ² I Cor. i, 25. — ³ Psal. xlv, 5. — ⁴ Ibid. — ⁵ Id. lxxxiv, 12.

Corpus Christi hoc fecit, in capite suo didicit. Ille prior sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram » tondente se non aperuit os suum¹: » usque adeo mansuetus, ut pendens in cruce diceret: «Pater, ignosce illis» quia nesciunt quid faciunt². » Quid propter justitiam? «Veniet etiam, ut judicet, et retribuatur unicuique se» cundum opera sua³. » Dixit veritatem, pertulit iniquitatem, allaturus est æquitatem. «Et deducet te mirabiliter» dextera tua. » Nos dextera ipsius, ipse dextera sua. Ille enim Deus, nos homines. Dextera sua deductus est, id est, potentia sua. Etenim potentiam quam Pater habet, habet et ipse, et immortalitatem Patris habet et ipse; divinitatem Patris habet, æternitatem Patris habet, virtutem Patris habet. Deducet eum mirabiliter dextera ejus, faciens divina, patiens humana, malitias hominum sternens bonitate sua. Adhuc deducitur et ubi nondum est, et dextera ejus deducit eum. Hoc enim eum ducit, quod ipse donavit sanctis suis. «Deducet te mirabiliter dextera tua.»

XVI. «Sagittæ tuæ acutæ potentissimæ⁴: » verba cor transfigentia, amorem excitantia. Unde dicitur in Canticis Canticorum: «Quia vulnerata charitate ego sum⁵.» Dicit enim vulneratam se esse charitate, id est, amare se dicit, æstuarum se dicit, suspirare sponso, unde accepit sagittam verbi. «Sagittæ tuæ acutæ potentissimæ: » et transfigentes, et efficientes: «Acutæ potentissimæ. Populi sub te» cadent.» Qui ceciderunt? Qui percussi sunt, et ceciderunt. Populos videmus subditos Christo, cadentes non videmus. Exponit ubi cadunt: «In corde.» Ibi se erigebant adversus Christum, ibi cadunt ante Christum. Blasphemabat Saulus Christum, erectus erat: supplicat Christo, cecidit, prostratus est: occisus est inimicus

¹ Isai. liii, 7. — ² Luc. xxiii, 34. — ³ Rom. ii, 6. — ⁴ Psal. xlv, 6. — ⁵ Cant. ii, 5, et v, 8.

Christi, ut vivat discipulus Christi. De caelo emissa sagitta, corde percussus est Saulus, nondum Paulus, adhuc Saulus, adhuc erectus, nondum prostratus: accepit sagittam, cecidit in corde. Non enim quod prostratus est in facie, ibi cecidit in corde: sed ubi ait: « Domine, quid » me jubes facere¹? » Modo ibas ad Christianos alligandos et perducendos ad poenam, et modo dicis Christo: « Quid » me jubes facere? » O sagittam acutam, potentissimam, qua accepta cecidit Saulus ut esset Paulus! Ut ille, ita et populi: gentes attendite, videte subditas Christo. Ergo, « Populi sub te cadent, in corde inimicorum regis: » hoc est, in corde inimicorum tuorum. Ipsum enim appellat regem, ipsum novit regem. « Populi sub te cadent, » in corde inimicorum regis. Inimici erant: acceperunt sagittas tuas, ceciderunt ante te. Ex inimicis amici facti sunt: inimici mortui sunt, amici vivunt. Hoc est: « Pro » his quae commutabuntur. » Querimus intelligere verba singula, versus singulos: ita tamen querimus, ut de Christo dici nemo dubitet. « Populi sub te cadent, in corde inimicorum regis. »

XVII. « Sedes tua, Deus, in saecula saeculorum. » Quia benedixit te Deus in aeternum, propter gratiam diffusam in labiis tuis. Erat autem sedes regni judaici temporalis, pertinens ad eos qui sub lege erant, non ad eos qui sub gratia erant: venit ille ut liberaret eos qui sub lege erant, et sub gratia constitueret. « Sedes ejus in saecula saeculorum. » Quare? Quia sedes illa prima regni temporalis fuit. Unde nunc sedes in saecula saeculorum? Quia Dei. « Sedes tua, Deus, in saecula saeculorum. » O aeternitatis divinitas! Non enim posset Deus sedem habere temporalem. « Sedes tua, Deus, in saecula saeculorum. Virga » directionis, virga regni tui. » Directionis virga est, quae

¹ Act. ix, 6.

dirigit homines. Curvi erant, distorti erant: sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant; non voluntatem suam Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. Irascitur enim peccator et iniquus plerumque Deo, quia non pluit; et non vult sibi Deum irasci, quia fluit. Et ad hoc prope modum sedent quotidie homines, ut disputent contra Deum: Hoc facere debuit, hoc non bene fecit. Tu videlicet vides quid facias, ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est. Distortum ad rectum quando conjungis? Collinearum non potest. Tanquam si in pavimento aequali ponas lignum curvum; non adjungitur, non cohæret, non coaptatur pavimento: pavimentum ubique aequale est; sed illud curvum est, non coaptatur aequali. Ergo Dei voluntas aequalis est, tua curva est: propterea tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari non potes: dirige ad illam te, ne illam velis curvare ad te; quia non potes, frustra conaris: illa semper directa est. Vis illi hære? Corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis. Inde et rex a regendo dicitur. Non autem regit qui non corrigit. Ad hoc est rex noster rectorum rex. Quomodo et sacerdos a sanctificando nos, ita et rex a regendo nos. Sed quid ait alio loco? « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso » perversus eris¹. » Non quia perversus Deus, sed quia perversi perversum eum putant. Placet tibi bonum, bonus est Deus: displicet tibi, quasi pravus est Deus. Curvus est ad te Deus, tua curvatura facit hoc: nam illius rectitudo semper manet. Audi in alio Psalmo: « Quam bonus Deus » Israël rectis corde²! »

XVIII. « Virga directionis, virga regni tui. Dilexisti » justitiam, et odisti iniquitatem³. » Vide virgam direc-

¹ Psal. xvii, 26, 27. — ² Id. lxxii, 1. — ³ Id. xlii, 8.

tionis, « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. » Accede ad istam virgam, sit tibi rex Christus : regat te virga ista, ne frangat te. Virga enim ferrea est illa, inflexibilis. Et quid dictum est? « Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos¹. » Alios regit, alios conterit : regit spiritales, conterit carnales. Ergo accede ad istam virgam. Quid in ea times? Hæc est tota virga : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. » Quid times? Sed forte iniquus eras : audis enim regem tuum, quia odit iniquitatem, et times. Est quod facias. Quid odit? Iniquitatem : numquid te? Sed in te est iniquitas? Odit illam Deus, oderis et tu : ut unam rem ambo oderitis. Eris enim Deo amicus, si odisti quod odit. Ita et amabis quod amat. Displiceat in te ipso tibi iniquitas tua, et placeat tibi creatura ipsius. Homo enim es iniquus. Duo dixi nomina : duo nomina, homo et iniquus : in istis duobus nominibus unum est naturæ, alterum culpæ : unum tibi Deus fecit, alterum tu fecisti : ama quod Deus fecit, oderis quod tu fecisti ; quia et ipse hoc odit. Vide quomodo jam illi incipias conjungi, cum odisti quod odit. Peccatum puniturus est, quia virga directionis est virga regni ipsius. Sed non potest ut non puniat peccatum? Puniendum est peccatum : si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum : non vis ut ipse puniat, tu puni. Ideo enim adhuc ipse parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est minas. Clamaret tantum feriturum se, si vellet ferire? Differt ergo manum a peccatis tuis : tu noli differre. Convertite te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut a te, aut ab ipso : tu agnosce, ut ille ignoscat. Attende exemplum in illo Psalmo pœnitentiæ, « Averte faciem tuam a peccatis meis². » Numquid dixit, a me? Alio

¹ Psal. II, 9. — ² Id. I, II.

enim loco aperte dicit, « Ne avertas faciem tuam a me¹. » Ergo, « Averte faciem tuam a peccatis meis : » nolo videas peccata mea. Quia videre Dei, animadvertere est. Ideo et judex quod punit, animadvertere dicitur, id est, animum illuc advertere ; intendere utique ad puniendum, quia judex est. Sic est et judex Deus. « Averte faciem tuam a peccatis meis. » Tu ab ipsis faciem noli avertere, si vis ut Deus ab ipsis avertat faciem suam. Vide quomodo hoc offert Deo in ipso Psalmo : « Facinus meum ego, inquit, agnosco, et peccatum meum ante me est semper². » Hoc non vult esse ante Deum, quod vult esse ante se. « Virga directionis, virga regni tui. » Nemo sibi multum de misericordia Dei blandiatur, virga directionis est. Numquid dicimus non esse misericordem Deum? Quid misericordius eo, qui parcit tantum peccatoribus, eo qui in omnibus conversis ad se non curat præterita? Sic eum dilige misericordem, ut velis esse veracem : non enim misericordia potest illi auferre justitiam, neque justitia misericordiam. Interim quandiu ille differt, tu noli differre : quoniam virga directionis, virga regni ipsius.

XIX. « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus³. » Propterea unxit te, ut diligeres justitiam, et odires iniquitatem. Et vide quomodo ait : « Propterea unxit te, Deus, Deus tuus. » O tu Deus, unxit te Deus tuus. Deus ungitur a Deo. Etenim in latino putatur idem casus nominis repetitus : in græco autem evidentissima distinctio est, quia unum nomen est quod compellatur, et alterum ab eo qui compellat, « Unxit te Deus. » O tu « Deus, unxit te Deus tuus : » quomodo si diceret : Propterea unxit te, o tu Deus, Deus tuus. Sic accipite, sic intelligite, sic in græco evidentissimum est. Ergo quis est Deus unctus a Deo? Dicant no-

¹ Psal. XLIV, 9. — ² Id. I, 5. — ³ Id. XLIV, 8.

bis Judæi. Scripturæ istæ communes sunt. Unctus est Deus a Deo : unctum audis, Christum intellige. Etenim Christus a chrismate : hoc nomen quod appellatur Christus, unctionis est : nec in aliquo alibi ungebantur reges et sacerdotes, nisi in illo regno ubi Christus prophetabatur et ungebatur, et unde venturum erat Christi nomen : nusquam est alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno. Unctus est ergo Deus a Deo : quo oleo, nisi spiritali? Oleum enim visibile in signo est, oleum invisibile in sacramento est, oleum spiritale intus est. Unctus est nobis Deus, et missus est nobis : et ipse Deus ut ungeretur homo erat : sed ita homo erat, ut Deus esset, ita Deus erat, ut homo esse non dedignaretur : verus homo, verus Deus; in nullo fallax, in nullo falsus; quia ubique verax, ubique veritas. Deus ergo homo, et ideo unctus Deus, quia homo Deus, et factus est Christus.

XX. Hoc figurabatur in eo quod Jacob lapidem sibi ad caput posuerat, et dormierat¹. Jacob Patriarcha lapidem sibi ad caput posuerat : dormiens autem illo lapide ad caput posito, vidit apertis cœlis scalam a cœlo in terram, et Angelos ascendentes et descendentes : hoc viso evigilavit, unxit lapidem, et discessit. In illo lapide intellexit Christum, ideo unxit. Videte ex quo prædicatur Christus. Quid sibi vult illa unctio lapidis, præsertim apud Patriarchas, qui unum Deum colebant? Factum est autem in figura, et discessum est. Non enim unxit lapidem, et venit illuc semper adorare, et sacrificia ibi facere. Expressum est mysterium, non inchoatum sacrilegium. Et videte lapidem : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic » factus est in caput anguli². » Et quia caput viri Christus³, propterea lapis ad caput. Attendite magnum sacramentum : Lapis Christus. « Lapidem vivum, ait Petrus,

¹ Gen. xxviii, 11. — ² Psal. cxvii, 22. — ³ 1 Cor. xi, 3.

» ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum⁴. » Et lapis ad caput, quia caput viri Christus². Et unctus lapis, quia a Chrismate dictus est christus. Et videntur scalæ revelante Christo a terra in cœlum, vel a cœlo in terram, et ascendentes et descendentes Angeli³. Quid hoc sit, melius videbimus, cum testimonium evangelicum ab ipso Domino commemoraverimus. Nostis quia Jacob ipse est Israël⁴. Illi enim cum Angelo luctanti et prævalenti, et benedicto ab eo cui prævaluit, nomen mutatum est, ut appellaretur Israël : sicut populus Israël prævaluit Christo, ut crucifigeret eum : et tamen in his qui Christo crediderunt, ab ipso cui prævaluit, benedictus est. Sed multi non crediderunt, inde claudicatio Jacob. Benedictio et claudicatio. Benedictio in his qui crediderunt, nam postea novimus ex illo populo multos credidisse. Claudicatio autem in his qui non crediderunt. Et quia plures non crediderunt, et pauci crediderunt : ideo ut fieret claudicatio, tetigit latitudinem femoris ejus. Quid est latitudo femoris ejus? Multitudo generis. Videte ergo scalas illas : Dominus quando vidit Nathanaëlem in Evangelio ait : « Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est⁵. » Sic enim dicitur de ipso Jacob, « Et erat Jacob sine » dolo habitans in domo⁶ : » hoc recolens Dominus videns Nathanaëlem sine dolo de gente illa et de populo illo, « Ecce vere, inquit, Israëlita in quo dolus non » est. » Appellavit Israëlitam, in quo dolus non esset, propter Jacob. Et ille Nathanaël, « Unde me nosti? » Et Dominus, « Cum esses sub arbore ficu vidi te : » id est, cum esses in illo populo sub lege constitutus, quæ carnali umbra illum populum protegebat, ibi te vidi. Quid est, ibi te vidi? Ibi tui misertus sum. Ille autem recordatus

⁴ 1 Petr. ii, 4. — ² 1 Cor. xi, 3. — ³ Gen. xxviii, 12, et Joan. i, 51. — ⁴ Gen. xxxii, 28. — ⁵ Joan. i, 47. — ⁶ Gen. xxv, 27.